Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

283v

quia nostri sunt vel fuerint in urbe regia responsales, si mediocris est questio cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si est ardua, deducatur, quatenus nostre audientie sententia decidatur. Quod si contra hec que statuimus quibuslibet tempore quibuslibet occasione vel surreptione venire temptaveris, sacre te communione privatum, non esse te excepto ultimo vite tue tempore, nisi cum concessa romani pontificis decernimus iussione percipere. Res autem sive sacras sive alias mobiles sive inmobiles eius ecclesie, quas hactenus dicitur retinere, quarum noticiam nobis oblatam presentibus annectimus litteris, sine aliqua eis fraternitas tua dilatione restituat. De quibus si qua inter vos questio oritur, volumus ut apud responsalem nostrum in urbe regia ventiletur. ¶ Plures baptismales ecclesias in una terminatione episcopus facere non potest. Unde in Toletano concilio legitur:

S. p. i. d. xvii. Multis.

In una terminatione plures baptismales ecclesie esse non possunt.

Plures baptismales ecclesie in una terminatione esse non possunt, sed una tantum cum capellis suis. Et si contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes utrumque discernant. Et si non convenerint, lis divino iudicio discernatur. ¶ Item de decimis. Symachus episcopus urbis Rome dixit:

Anathemate feriatur qui res ecclesie et bona episcoporum invadit.

Similiter et hoc ad omnium ecclesiarum noticiam vestra cunctorumque exhortatione et iudicio censemus pervenire et ab omnibus firmiter teneri, quia res episcoporum ecclesie esse non dubitantur; si in eorum facultatibus simul hi fuerint crudelitate grassati, pervasores rerum memoratarum predicta canonum districtione feriantur, ut qui moribus propriis ac nulla conscientie castigatione corriguntur, saltim ecclesiastice et canonice vindicte perfodiantur aculeis. Item ex libro capitulorum Karoli et Ludwici imperatorum.

Res ecclesiastice principum auctoritate distribui non POSSUNT.

Quia iuxta sanctorum patrum traditionem novimus res ecclesie vota fidelium esse, precia peccatorum et patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam deo opitulante conferre temptamus. Ut autem ab ecclesiasticis de dividendis rebus ecclesie suspicionem dudum conceptam penitus amoveamus, statuimus ut neque nostris neque filiorum et deo dispensante successorum nostrorum temporibus ullam penitus divisionem aut iacturam paciantur. Item ex concilio Toletano.

I. xxviii. Q. viii. C. Quia sedem.

Nichil de iure sue diocesis episcopi presumant auferre.

Iuxta priorum auctoritatem conciliorum tam de oblationibus quam de tributis ac frugibus episcopi tertiam consequuntur. Quod si amplius quippiam ab eis presumptum extiterit, per concilium restauretur, appellantibus ipsis conditoribus aut certe propinquis eorum, si iam illi a seculo discesserunt. Item IERONIMUS.